

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES

UNIVERSITY OF TORONTO

Level One Medieval Latin Examination

16 April 2012

Translate **ALL FOUR** passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is **NOT** permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. **DO NOT USE PENCIL.**

1. Jesus sends his disciples to teach (from Karolellus)

Cum dominus Christus devicta morte revixit,
Sanctis discipulis hoc inter cetera dixit:
'Cuncta resurgenti michi sunt subiecta; set ite
Et cunctis populis apponite fercula vite.
En ego vos mitto per climata quatuor orbis,
Detis ut humanis medicamina congrua morbis;
Egris sanatis leprosos mundificate,
Surdis purgatis defunctos vivificate,
Obsessos a demonibus curate fugatis,
Munera, que gratis impendo, rependite gratis.'
Statim discipuli Domini mandata replentes
Ad convertendas studuerunt pergere gentes.
Quilibet illorum, quo debeat ire, docetur:
Iacobus ad Galatas Hyspanos ire iubetur.
Quos postquam fidei potavit nectare sacro,
Ipsos Christicolas fecit mediante lavacro.

2. The seven liberal arts and seven occupations (Petrus Alfonsi)

Vnus ex discipulis interrogavit magistrum suum et dixit: Cum septem sint artes et septem probitates et septem industrie, vellem ut haec michi sicut se habent enumerares. Magister: Enumerabo. He sunt artes: dialectica, arithmetica, geometria, phisica, musica, astronomia. De septima vero diverse plurimorum sunt sententie quenam sit. Philosophi qui prophecias non sectantur, aiunt nigromanciam esse septimam. Aliqui ex illis videlicet qui prophecias et philosophie credunt, volunt esse scienciam que res naturales vel elementa mundana precellit. Quidam qui philosophie non student, grammaticam esse affirmant. Probitates vero he sunt: Equitare, natate, sagittare, cestibus certare, aucupare, schachis ludere, versificari. Industrie sunt: ne sit vorax, potator, luxuriosus, violentus, mendax, avarus et de mala conversacione. Discipulus: Hoc tempore puto neminem huiusmodi esse. Correxerit quidam philosophus filium suum: Cave mendacium, quia dulcius est carne volucrum. Alius: Cum leve sit mendacium proferre, quare videtur graue veritatem dicere? Alius philosophus: Si dicere metuas unde peniteas, melius est dicere: non! quam: sic!

3. Thurkill meets a stranger (Visio Thurkilli)

Igitur in episcopatu Londoniensi, in villa que dicitur Stistede, erat quidam simplex, rurali operi assuefactus et iuxta mediocritatem facultatis sue elemosinis atque hospitalitati deditus, nomine Thurkillus. Hic autem, dum post horam vespertinam in vigilia apostolorum Symonis et Iude, que evenit VI feria, agellulum suum, quem eadem die seminaverat, ab inundatione aquarum pluvialium per rivulos evacuaret, subito sursum oculos deflectens conspicatur eminus virum quendam ad se usque properantem. Cúmque a longe eum aspexisset et dominicam orationem inchoasset, ecce statim velut in momento ei propius astitit intuentemque se et admirantem exhortatus est, ut precem, quam inchoaverat, compleret sicque cum illo loquatur. Qua completa se adinvicem salutaverunt. Deinde ille, qui supervenerat, percunctatur, ubinam posset nocte illa congruentius inter vicinos hospitari. Cumque requisitus quorundam vicinorum collaudasset hospitium et hospitalitatis sedulitatem, mox requisitor quorundam, quos nominaverat, hospitalitatem approbavit, quorundam vero improbavit.

4. Venice, a second Rome from brick to marble (Pius II)

Venetia, ut diximus, ab initio insulas, quae sunt inter Aquas Gradatas et Lauretum, fere omnes occupavit, uno civitatis corpore ex pluribus oppidulis constituto; hodie continua sunt aedificia, quae unam urbem efficiunt canalibus tantum, in quibus aquae salsae decurrunt, tanquam viis quibusdam inter se divisis. Latitudo canalium maiorum triremem capit remigio vadentem. Sunt et viae lateribus stratae, quas pedibus ambulant. Merces huc ex toto fere orbe convehuntur, neque aliud est Europa tota nobilius emporium. Negotiatores totius occidentis huc res deferunt, et orientales accipiunt merces. Armamentarium et navale, quod 'Arzenal' vocitant, ditissimum habent omni machinarum genere refertum, in quo triremes et alia navigia absque intermissione aedificant. Opinio est eos, cum velint, brevissimo tempore centum triremes armare posse; quod aliquando fecerunt. Urbs tota lateritia; verum si stabit imperium, brevi marmorea fiet, et iam nobilium aedes marmore incrustatae plurimo fulgent auro. Beato Marcho evangelistae nobilissima aedes constructa est ex orientali marmore; testudines artificio quod 'musaicum' vocant undique deauratae.